



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt LXVI. Cur bonis meritò sepultura debeatur? & qualis, aut à quibus, &  
quo modo sit exhibita, vel exhibenda?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

portuna, Rex Testes vocari iussit, & quia vir prudens fuit, prudenter illos examinavit, accito prius uno, & solus loquens cum solo, ait; Nosti Dominicam Orationem? Respondente illo; Nons Domine, subiunxit Rex; Dic ergo illam, me audiente, quod cum fecisset, nihil aliud ei loquens, precepit, ut in vicinam cameram secederet, & advocans alterum, severius eum allocutus est, dicens; socius tuus de vinea illa tam meram mihi retulit veritatem, sicut est sanctum Pater noster, quo nihil est verius. Quòd si ab eo discordaveris, punieris. Estimans ille, quia Regi omnia dixisset, timens ac tremens ad pedes eius corruit, dicens; Misere mini nostri Domine, quia sic, & sic fecimus, à Præposito nostro inducti. Iratus rex valde, vineam vidua restituit, & Præpositum vinum sepeliri precepit. Iuste actum est, ut is sine misericordia infoderetur vivus, à quo inhumane mortuus fuerat effossus.

CAPVT LXVI.

Cur bonis meritò sepultura debeat? & qualis, aut à quibus, & quo modo, sit exhibitæ, vel exhibenda?



ICUT merentur improbi, ut vivi, ita probi, ut mortui sepeliantur. Hoc natura dicitur, quæ terram in terram reuocat, & ita prouidit, ut omnes regantur.

I.

*Libera fortuna mors est; capit omnia tellus,*

Lucan. lib. 7.  
Pharsal.

*Qua genuit, calo tegitur, qui non habet urnam.*

Et Philosophus ait: *Ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem sauitia projecit, dies condet.* Quamobrem etiam disertè Mæcenas ait:

Senec. ep. 91.

*Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.*

Itaque si homines desint, qui cadauer efferant; si desint vespiliones, qui sepeliant; si non adsint aues, qui oculos effodiant; si nullæ sint bestię, quæ in ventrem condant defunctum; ipsa natura officium facit, & quod olim rogi solebat, exequitur, corpusque in tabem, ac tandem in terram resoluit. Apud omnes populos natura hanc induxit opinionem, ut mortui aliquo tandem modo sepeliantur. Sed quid singulorum opiniones animaduertam, ait Cicero, nationum varios errores perspicere cum liceat? Condiunt Egyptij mortuos, & eos domi seruant. Persæ etiam cera

Cic. lib. 1.  
Tuscul. 99.

X x x

circum-

716 *Cap. LXVI. Cur quo modo, & à quibus boni, benè sint sepulti?*  
*circumlitos condiunt, ut quàm maximè permaneant diuturna cor-*  
*pora. Magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi à feris*  
*sint antea laniata. In Hircania plebs publicos alit canes; optimates,*  
*domesticos. Nobile autem genus illud canum scimus esse: sed pro sua*  
*quisque facultate parat, à quibus lanietur: eamq; illi optimam esse cen-*  
*sent sepulturam. At mihi quidem antiquissimum sepulturae genus id*  
*fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim*  
*terre corpus, & ita locatum ac situm, quasi operimento matris obdu-*  
*citur, eodemq; ritu in sepulchro, quo procul ad fontis aras Regem no-*  
*strum Numam conditum accepimus, gentemq; Corneliam, usque ad*  
*memoriam nostram hanc sepulturam scimus esse usam. Sic terra terræ*  
*redditur. Sic aër peste, viui infectione, ac tetro aspectu liberaan-*  
*tur. Sic mortui honore debito afficiuntur. Sic, qui sepeliunt,*  
*officium debitum exequentur. Neque enim sine causa Iusta mor-*  
*tuis persolvere dicimur, quando circa mortuos occupamur. Hic*  
*est vniuersorum sensus, & communis natura lex, ait S. Chrysofomus.*  
*Sunt enim apud mortales omnes hæc leges communes, ut qui*  
*vitâ functus est, terrâ condatur, sepultura tradatur, ac sinu magne*  
*omnium matris obuoluetur. Atq; hæc non Græci, non Barbari,*  
*non Scythæ, nec si quis illis immanior reperiatur, umquam leges con-*  
*uulsit; sed reuerentur, & obseruant omnes: adeò sacra, & apud om-*  
*nes veneratione sunt digna. In diuinis litteris habemus: Mortuo*  
*nō prohibeas gratiam, hoc est, beneficium sepulturae. Item, Secundum*  
*judicium (seu ius, quod ei debetur) contego corpus illius, & non*  
*despicias sepulturam illius.*

S. Chrysof.  
 hom de Ba-  
 byla.

Eccli. 7. 37  
 Eccli. 38. 16.

II.  
 Tob. 12. 12.

Matth. 26. 12  
 2. Reg. 2. 4.

Quin & DEO rem gratam præstare, qui mortuos sepelit,  
 perspicuè indicauit Tobia Angelus illis verbis: *Quando orabas*  
*cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium*  
*tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepelie-*  
*bas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. De Christi & Patriar-*  
*charum sepultura, dixi superiore capite. Nec laudarunt alij*  
*dumtaxat eos, qui Christi sepulchrum fecerunt gloriosum, sed*  
*ipse quoque Christus, contra iniquam Iudæ murmuratiõnem,*  
*Magdalenam defendens dixit: Ad sepeliendum me fecit. Quin &*  
*in hostem suum hoc officij genus exhibitum probauit. Et nun-*  
*tiatum est Dauid, quod viri labes Galaad sepelissent Saul: Misit ergo*  
 Dauid

David nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitq; ad eos: *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelivistis eum, & nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eò quòd fecistis verbum istud.* Et nunc quoque mos est in bellis, ut proelio transacto corpora occisorum militum sepeliantur. In Aetis quoque Apostolicis laudantur eiusmodi sepeliones. *Curaverunt autem Stephanus viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* Iure igitur hoc S. Ambrosius opus magnum vocat. Et addit rationem: *Nam si viventes, inquit, operire nudos precipimur, quanto magis operire debemus defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus, quanto magis ad illam aeternam domum profectos, unde jam non revertentur? Nemo Catholicorum est, qui, dum funus comitatur, pro eo non orat; unde & rosarium gestant manu, & illud pro defuncto percurrunt; Clerus autem Psalmis & cantu Deum eidem conciliat. Nihil simile, juxta dogma suum, possunt facere haeretici; quamvis in quibusdam locis, juxta antiquum ritum, & contra novum suum cultum, etiam ipsi pro defuncto orant, quem tamen sciunt, in caelo non indigere, in inferno non juvari oratione; in Purgatorio autem (ubi eum preces refrigerarent) non credunt esse, cum neque ipsum vspiciam purent esse Purgatorium. Itaque, rosarii loco, vidi singulos in nobili eiuscemodi funere, comites pomum aureum manu ferentes, & contra cadaveris, credo, foetorem naribus identidem admouentes. Putares eos à convivio surrexisse, non è domo lucis venire. Ego, inquit Iob, *super omnem infirmum fleui. Quis infirmior defuncto, ait S. Ambrosius, de quo dicit Scriptura alibi: Super mortuum plora? Ecclesiastes autem ait: Cor sapientum in domo luctus; cor autem stultorum in domo epularum. Nihil hoc officio praestantius, ei conferre, qui tibi jam non possit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturae. Fera hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur; homines denegabunt? Non denegabunt, nisi quibus eadem ipsis deneganda, aut qui solius utilitatis, nullam autem rationem honestatis & caritatis habent. Ultimum, inquit Lactantius, illud & maximum pietatis officium est, peregrinorum & pauperum sepultura, quod illi vir-**

Actoz. 8, 2.

S. Ambros. lib. de Tob. cap. 1.

S. Ambros. loc. cit.

Lactant. lib. 7. cap. 12.



718 Cap. LXVI. Cur, quo modo, & à quibus boni benè sint sepulcris  
 iustis iustitiarum doctores (Ethnici) prorsus non attigerunt. Nec enim  
 poterant id videre, qui utilitate omnia officia metiebantur. Et paulò  
 post: Non quarimus nunc utrumne tota sepeliendi ratio sit utilis, nec  
 ne. Sed hæc, etiamsi sit inanis (ut illi existimant) tamen facienda est,  
 vel ob hoc solum, quòd apud homines benè & humanè fieri videtur.  
 Animus enim queritur, & propositum ponderatur. Non enim patie-  
 mur figuram & figmentum Dei feris ac volucribus in pradam jacere,  
 sed reddamus id terra, unde ortum est; & quamvis in homine ignoto  
 necessarium manuum implebimus, in quorum loco, quia desunt, succe-  
 dat humanitas, & ubicumq; homo desiderabitur, ibi exigi officium no-  
 strum putabimus. Quòd etsi non viderunt Ethnici esse officij sui,  
 tamen vel natura instigante fecerunt. Itaque, apud omnes  
 gentes video defunctos, nisi alia causa obstatet, sepulturam ho-  
 noratos. *Egyptij*, quoties medicatum aliquod funus apparabant, ex  
 prima nobilitate mortuum condientes, seorsum eximebant ventricu-  
 lum, eumq; in arcula seponebant, deinde cum pollinctor elato funere  
 cadauer ad solem conuertisset, defuncti nomine solem caelestemq; omnes  
 insigni elogio contestabatur: Sol rerum domine, vosq; calites, qui morta-  
 libus luce vsuram largimini, me accipite, & caelestibus contuberna-  
 lem addite. Equidem pie, ac religiose numina à maioribus mihi com-  
 monstrata semper dum vixi, excolui. genitura mea auctores semper  
 honoravi, hominem occidi neminem, aut deposito fraudavi, nec aliud  
 quidquam infandum patravi. Quòd si quid a me patratum est edendo,  
 bibendo, quòd non oportuerit, id omne non mea, sed huius causa  
 commissum est. simulq; cum dicto arcam, in qua ventriculus erat con-  
 ditus, in profuentem proiciebat, corpus reliquum ut purum & labis  
 immune condiens. Eadem paulò fusiùs recenset Porphyrus.

Nicol. Cauf-  
 fin in Poly-  
 hist. lib. 5. §. 2.  
 ex Plutareh.  
 In conuiuio  
 septem Sa-  
 pientum.

Porphyrus  
 lib. 4. de abf-  
 rin. Herodot.  
 lib. 2.

III.

Quid quòd bestiarum ipsarum curam sepulchri, & quamdam simi-  
 litudinem corporis ad vitam redituri habent? Nam quòd de  
 Phœnice vulgo narratur, id alij etiam de alia aue memorant.  
 Siqui-

Siquidem Nicolaus de Comitibus scribit, in vltiore India auem esse, cui nomen Semenda, trifido rostro, sentireque semorituram. Mortis igitur hora, eam deferre ligna in nidum suum, cantillareque suauiter atque alarum percussione incendere ligna: ipsam illo igne consumi, indeque vermiculum gigni, qui postea in auem crescat.

*Combustusque senex tumulo procedit adultus,  
Consumens dat membra rogas.*

Quidquid sit de veritate huius narrationis, de qua in tractatu de monstris disputauimus, significatur tamen, aliquam etiam apud veteres fuisse, de resurrectione cogitationem, quam qui certò credunt, nonnè causam habent, vt ossa cineresque honoratè condant, & asseruent, quæ non dubitant aliquando vitam receptura, & æternùm duratura? Quid quòd in monumentis mortuorum, eorumdem laudes atque virtutes, ad exemplum posterorum inscribamus? Nam tituli & epitaphia ad hoc eriguntur. Sic olim mortua est Rachel, & sepulta est: erexitq; Iacob titulum super sepulchrum eius. Hic est titulus monumenti Rachel vsque in presentem diem. S. Hieronymus ait, se ad Mausolæum Dauidis regis precari solitum, de quo Mausolæo videtur loqui D. Petrus, cum ait: Et sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem. Simon quoque Machabæus super sepulchrum patris sui, ac fratrum suorum magnificum erexit monumentum. Iustiniano Imperatori mortuo instrata vestis stragula, in qua Phrygio opere textæ victarum urbium, & Barbarorum Regum, quos ipse suis auspicijs debellarat, effigies: de qua Corippus:

*Et tulit intextam pretioso murice vestem,  
Iustinianorum series ubi tota laborum,  
Nexo auro insignita fuit, gemmisque coruscis,  
Illic Barbaricas flexa cernice Phalanges,  
Occisos Reges, subiectasque ordine gentes,  
Pictor ac tenui multa formauerat arte,  
Fecerat, & fuluum distare coloribus aurum,  
Omnia vt afficiens ceu corpora vera putaret.  
Effigies auro, sanguis depingitur ostro.  
Ipsam autem in media victorem pinxerat aula,*

X x x x 3

Efferat

Gen 35. 19.

S. Hieronym.  
Ep. 17.

Act. 2. 29.

1 Machab. 13.  
30.

Baron. ad annum Iustiniani. 39.

*Effera Vandalici calcantem colla Tyranni.*

*Addidit antiquam tendentem brachia Romam,*

*Exerto, & nudo gestantem pectore mammam*

*Altricem Imperij, libertatisque parentem.*

Ad eundem finem funerum sandapilis auro illusa tapetia inijciebantur. Quod D. Hieronymus testatur ad Paulam de obitu Blefillæ. Ita enim scribit: *Ex more parantur exequia, & nobilium ordine praeunte aureum feretro velamen obtenditur. Quod isti in stragula veste considerauerunt, hoc omnes alij contemplantur in sepulchris mortuorum, opera enim illorum sequuntur illos; & plerumque qualis quis fuit, talis est & memoria illius, post mortem. Et, si iusti, si sancti fuerunt, meritò memoria illorum cum vita non deletur. Sicut enim de impijs dicitur: *disperede de terra memoriam eorum;* ita etiam de homine probo pronuntiat: *In memoria eterna erit justus.* Ad quam conseruandam & augendam, etiam laudes defunctorum in funeribus illorum celebrantur. Cuiuscemodi laudes & orationes funebres extant, Eusebij Casariensis in funere Constantini Magni, Nazianzeni in funere Basilij & Casarij, Nysseni in Meletij, Ambrosij in Exequijs Valentiniani Imperatoris, & Satyri fratris; S. Bernardi, & quàm plurimæ aliorum, tam veterum, quàm recentiorum. Et diutiùs durant Rhetorum ac Oratorum flores, quàm qui ex hortis deprompti feretris sepulchrisque asperguntur. *Manibus date lilia plenis,* ait ille. Et S. Hieronymus ad Pammachium de obitu vxoris. *Ceteri mariti,* ait, *super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos,* vt scilicet significant, etiam eos, qui humati sunt inibi, floruisse. In cuius rei signum fuit olim cyparissus feralis arbor, mortuorum sepulchris destinata, quia blattas & tineas non sustinet, diùque durat. Filiorum sanè officium est, vt memoriã parentum suorum numquam depnant, & eorum vel sepulchra sæpe adeant, vt ibi pro ipsis preces fundant, & cogitent, se eodem secuturos; vel certè identidem recordentur, eorumque memoriã sanctè retineant, arque ita velut in capite sepultos circumferant. Ad quam rem indicandam *Brachmanes fabulam de Vpupa, quam Indorum Reges habent in delicijs, bellijssimam* narrant: *Regi Indorum, inquit, olim filius fuit**

*minimus*

minimus natus, quem fratres improbi propter aetatem contempserunt. Cum verò parentes senectute graues, contumeliose ab eis tractarentur, ut improbitatem eorum declinarent, assumpto filio minimo discedunt, ac fugiunt: & laboribus in itinere consumpti moriuntur, defunctorum cineres filius in sui capitis vulnere, quod ense sibi inflixerat, sepelit. Insignem hanc eius pietatem conspicatus, admiratusq; sol, puerum in auem formosam admodum, & viuacem conuertit, crista supra caput eius erecta, ut gloriosi facinoris monumento.

Si non solum Iudæi, sed etiam vel Ethnici defunctos parentes talibus monumentis coluerunt, quanto magis Christiani Christianos sepulchri honore colere, & in memoria habere debent? Neque enim contemnenda & abicienda sunt corpora defunctorum, maximeq; iustorum atq; fidelium, quibus tamquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora que utiq; multo familiarius atq; coniunctius, quam qualibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequie celebrata, & sepultura prouisa: ipsiq; dum viuerent, de sepeliendis vel & etiam transferendis suis corporibus, filijs mandauerunt, & Tobias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosa mulieris bonum opus predicat, predicandumq; commendat, quod unguentum pretiosum supra membra eius effuderit, atq; hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum diligenter atque honorifice regendum sepeliendumq; curarunt. Verum ista auctoritates non hoc admonent, quod insit ullis cadaveribus sensus: sed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. Hinc Christiani quidem omnes, mortuos suos sepeliunt, & plerumq; quò quis sanctior est, seu qui sepelit, seu qui sepelitur, eò maiore cultu solet sepelire alios, vel ipse sepeliri. Sed curant maximè sanctis locis condi, qui sunt sancti, ibi enim & fruuntur Ecclesie precibus

IV.

S Augustin.  
lib. 1 de cicic.  
cap. 13.



S. Gregor 13.  
dial. cap. 11.  
Sur. Tom. 5.  
10. Octobr.

precibus animæ, & tuta sunt corpora eorum à veneficis & veneficorum magistris Stygijs. Qua de causa S. Cerbonius, in ea Populonij Ecclesia, cui præerat, sepulchrum sibi præparavit, & per miraculum, non obstantibus Longobardis Italiam vastantibus, pluviaque copiosa extra nauem, quâ vehebatur eius sacrum corpus, cadente, eò perlatus, & tuto sepultus est.

V.

Gen. 49. & 50.

Ergo igitur Catholicos suos honorat Ecclesia sepultura Ecclesiastica, quæ & à loco sacro, & à precibus viuientium, & à sacrificijs, ac eleemosynis, & aspersione aquæ benedictæ, ijs, qui capaces sunt, multùm confert. Iacob sanè & Ioseph Patriarchæ in Ægypto mortui, in terra promissionis sepeliri voluerunt, in qua Christus erat nasciturus, & templum Domini futurum.

S. Cyprian.  
lib. 1. ep. 4.

Hinc D. Cyprianus perstringit Martialem quemdam, quòd filios suos, exterarum gentium more, apud profana sepulchra deposuerit. Indicat ergo iam tum cœmeteria fuisse pro Christianis con-

Gregor. Tur.  
de glor. Con-  
fess. cap. 106.

Iuo ep. 129.

Clem. Rom.

lib. 6. Constit.

Apost. c. 30.

Dionys. Areopagita. c. 7. de

Eccles. Hier.

arch. Ambros.

lib. de Abra-

ham. cap. 9.

Hieronym. in

vita Paulæ &

Fabiolæ. Au-

gustin. lib. de

curapro mor-

tuis. cap. 14.

Greg. lib. 3.

dial. cap. 13.

Platina. in

Gregor. VI.

Pontif.

V. Beda li. 4.

hist. Angl. e. 7.

& ex eo Baro,

secrata. Quod planiùs etiam docet Gregorius Turonensis & Iuo Carnotensis. *Conuenite in cœmeteria*, ait Clemens Romanus, *sacros libros in ijs legentes, & psallentes pro his, qui dormierunt.* Et Dionysius Areopagita: *His peractis*, inquit, *Pontifex condit in loco dignissimo corpus, cum alijs sui ordinis corporibus sacris.* Quin & in templis ipsis sæpe sepultos fuisse fideles, testantur Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius. Ob quam causam Gregorius Sextus Pontifex, cum multa bona fecisset, & vicissim graues haberet obtrectatores, atque inter eos etiam Cardinales nonnullos, teste Platina, moriturus Cardinales ad se vocatos verbis castigauit, eò, quòd quæ iuste & sanctè fecisset, ipsi inuore moti reprehenderent: *Et, ut inquit, scire possitis, ubi mortuus fuero rectè an perperam fecerim, corpus meum ante fores Ecclesiæ sitite vestibibus oneratas: Si diuino nutu aperientur, censeote me dignam Christianam sepultura: sin secus, corpus meum vnà cum anima damnatum, quòd volueritis, eicitote.* *Fecere mandata Cardinales, itaque porta, coorto graui vento, aperta sunt, & corpus cum admiratione omnium, & opinione magna sanctitatis introlatum est.* Est itaque Deo cura, non tantùm de animabus, sed etiam de corporibus suorum famulorum, quid ni & famularum? Fusè refert Beda historiam de quadam Britannia Abbatisa Edilburga dicta, cui, tempore pestis,

pestis, de loco fororū suarum sepeliendarū sollicitè, nocte intem-  
 pestā, fulgentissima luce de cælo demissa, aptum locum sepulture  
 monstravit. Hoc cæleste lumen, vel loco ostendendo *affusum*  
 à Deo, docet non malè facere eos, qui cereis & facibus accensis  
 fanera sua illuminant. Et si enim mortui, quia nihil vident,  
 lumine accenso non indigeant, tamen cereis facibusque fidem  
 eorum testantibus illustrantur. Ita testatur Eusebius, in funere  
 Constantini arsisse lumina in aureis candelabris. Et Nazianzen<sup>9</sup>  
 affirmat, cum cereorum ignibus delatum fuisse corpus Constan-  
 tij Cæsaris, eò, quòd Christiani putarint pium eius discessum  
 è vita his officijs ornandum. Alter quoque Gregorius Nyssenus  
 de morte sororis suæ Macrinæ ita scribit: *Amplius Clerici ordine*  
*progredientes, accensos cereos gestantes manibus, funus deducebant.*  
 S. Hieronymus de obitu Paulæ ait: *Cùm alij Pontifices lampades*  
*cereosq; præferrent.* Et alibi: *Sacerdotes lampades cereosq; præfere-*  
*runt funeri.* Ita etiam, vt defunctus S. Chrysostomus indicaretur  
 viuere, & filius lucis fuisse, refert Theodoretus, in transla-  
 tione corporis eius, Bosphori ostium ad Propontidem prorsus  
 luminaribus fuisse completum. Cuius apud Christianos ritus  
 etiam antiquissimus meminit Dionysius Areopagita. Nicepho-  
 rus certè tradit, Deiparæ corpus cereis ardentibus floribusque  
 sparsis ab Apostolis ex Sion in Gethsemani elatum. Complura  
 talia extant ab hominibus in honorem mortuorum facta, Deo  
 etiam miraculis præeunte, & locum sepulturæ liberalissimè per  
 lumina monstrante.

Non ausim hîc dicere in eos, qui etsi locum habeant sepe-  
 liendi, nec prohibeant sepeliendos, tamen nimium quantum  
 exigunt pretium sepulturæ, vt vir quidam clarissimus, sed non  
 admodum nummatus, sub mortem, joco serio auditus sit di-  
 cere, vel idcò se illibentius emori, quòd tãti mors constet, & à de-  
 functis tumulandis nimium quantum tributum exigatur: Cha-  
 rontem olim nauulo contentū fuisse; sed nunc esse vespillones ipso  
 Charonte auarioros. Nihil hîc contra consuetudines, multò que  
 minus contra iustas leges disputabo, solùm ea, quæ D. Gregori<sup>9</sup>,  
 epistola ad Messalinum Episcopum scripsit, apponam: *Secundùm*  
*nostrum institutum, inquit, noneris nos illicitam antiquam consue-*

Tyyy

tudinem

tom. 8. An.  
681.

Euseb. lib. 4.  
cap. 66.  
S. Gregor.  
Naz. orat. 2,  
in Iulian.  
S. Greg. Nyss.  
ad Olympiū.

S. Hieron. ad  
Eustoch. de  
obitu Paulæ,  
& in epita-  
phio Paulæ.  
Theodoret.  
lib. 5. histor.  
Ecc. cap. 26.  
Dionys. Are-  
opag. cap. 70  
de Ecc. Hier.  
Nicephor.  
lib. 2. cap. 22.

VI.

S. Gregor.  
Mag. lib. 7.  
epistol. 4.  
Baron. tom. 8.  
An. 618. p.

724 Cap. LXVI. Cur, quò modo, & à quibus boni venè sint sepulcra  
 tudinem à nostra Ecclesia omnino vetuisse, nec cuiquam assensum  
 præbere, ut loca humandi corporis pretio possit adipisci. Nam si Gen-  
 tiles (ut arbitramur) viri Sichimita Abrahæ, pro Sara mortua, at-  
 que in loco proprio humanda, sepulturam gratis obtulerunt, & vix  
 magna eius importunitate coacti sunt, ut pretiam de loco sepultura  
 perciperent: nos, qui Episcopi dicimur, de humandis fidelium corpo-  
 ribus pensa quid facere debemus? Hoc ergo fraternitatis vestre judi-  
 cio committimus. Quibus verbis ostendit, se proponere exemplū,  
 non ponere præceptum. Quare hæc non eò dicta volumus, ut  
 pias consuetudines abrogemus, aut Parochis necessariam susten-  
 tationem subducamus, aut avaritiam parcorum quorundam  
 hominum (qui pecunias tantum à mortuis sibi relinqui volunt,  
 nullos autem in eorum honorem sumptus facere) foueamus;  
 sed, ut eos refrænemus, qui nimij sunt in exigendo, nec vllis  
 pretijs possunt satiari, ut non sine causa pauperculi nonnulli  
 sepulchrum in sacro loco, ob exactiois excessum, reformident.  
 Locum honoratum tumuli, mirifico splendore nocturno, solli-  
 citis montalibus, & S. Abbatissæ Edilburgæ diuinitus, tempore  
 pestilitatis, demonstratum, narrat Beda, ut adeò Deus ipse scia-  
 tur curare seruorum suorum sepulturas, quas illustrando, non  
 vult fieri abominabiles vendendo. Graues poenæ leguntur infli-  
 ctæ ijs, qui defunctorum tumulos violauerunt. Violantur autem  
 etiam utique pretij nimietate: quamquam & alijs modis, non  
 sine diuina vindicta legantur violati. Quòd si quis etiam ho-  
 rum punitorum vult exempla, legat D. Gregorium de Equitio  
 Abbate, ab rustico, per imprudentiam, non impudentiam, in  
 tumulo temerè grauato, & impositam sibi arcam frumenti à se  
 velut cum indignatione procul reiiciente: Item Baronium de  
 Lydo Sacellario gravissimè afflicto, & terribiliter mortuo,  
 quòd ex suggestione Photij, sepulchro S. Ignatij injuriam intulit.  
 Surium de monumento Petri Gauensis Abbatis, à  
 monacho per contemptum spuris contaminato; qui & ipse plagā  
 foedissimā fuit contaminatus; donec ab eo ipso sanaretur, quem  
 despuit. Nec absimile legitur, apud Cæsarium, de eo, circa  
 cuius feretrum diuinitus accensæ sunt candelæ, vbi poeniten-  
 tiam egit, qui peccatis suis causa erat, ut extinguerentur, Nemo  
 contem-

Beda lib. 4.  
 hist. Angl.  
 cap. 7. Baron.  
 tom. 8. An.  
 681.

S. Gregor. h. 1.  
 dial. cap. 40.

Baron. 16. 10.  
 An. 878. 40.

Sur. 4. Martij.  
 cap. 24.

Cæsar. lib. 11.  
 cap. 9.

contemnendus, nemo despiciendus est, sed defunctus minimè, quia non potest se defendere, unde Deum habet defensorem. Quare per pauperem illum, in porta mortis constitutum intelligitur, de quo Salomon ait: *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta: quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.* Prou. 22. 22

Probè hoc intellexerunt omnes probi, qui, ut defunctis supremus honor non negaretur, vel humeris suis eos extulerunt. Neque enim plebeius Tobias dumtaxat id fecit; fecit Ioseph ab Arimathea, fecit Nicodemus, viri primarij; quin etiam fecerunt Reges & Principes. Anno Christi 1007. è vita discessit Ratifponæ Romualdus Abbas S. Emmerami, cuius feretro Henricus Romanorum Rex, & postea Imperator, proprium supposuit humerum, cum illud ad sepulchrum portaretur. Idem fecit An. 1079. S. Ladislaus Hungariæ Rex, & alij Principes, qui corpus S. Gerardi proprijs humeris transtulerunt. Idem præstitit Theodoricus Rex Francorum, qui Theodorici Abbatis, S. Remigij discipuli corpus ad sepulchrum ipse quoque suis humeris extulit. *Alphonfus Aragonum Rex cum Puteolos obsideret, atque animi laxandi gratia littus quotidie peteret, reperit viri Genuensis cadauer à Tiriemi hostium eiectum, littori appulsum. Quo viso, celeriter equo desilyt, issq; qui propè aderant, omnibus desilire iussit, alijs negotium dedit, ut terram effoderent, alijs, ut nudum corpus obuoluerent; ipse verò non minimas in sepeliendo homine partes sibi ascripsit. S. Odiolo, quadam die, dum per publicum pius equitator incedit, duos in itinere pueros fame peremptos reperit. Mox equo desiliens, lanciam, quâ indutus erat ad carnem, subduxit sibi interulam, eaq; prout velaminis quantitas permittebat, vtrumq; cadauer obuoluens exhibet mortuis sepulturâ; nam & vestillones mercede conduxit, & funereis vsque ad tumulum prosecutus exequijs, defunctis fratribus debitum humana pietatis exoluit. Hoc est quotidianum opus, & magnum quidem,* ait S. Ambrosius.

Rident ista impij cachinnones, sed *ve vobis, qui ridetis opera misericordiæ exercentem, & applauditis vanitati, Deus enim causam istorum iudicat, & in fide luscus omnino excæcat, ut vel in tenebris videant, quid Sanctis suis debeatur.* Imperante

VII.

Baron. t. 6. 13.  
An. Christi  
1007. ex Arnolfo Comite.  
Sur. 24. Septemb. in vita eius, & Baron. t. 6. 11. An. 1079. Vlsuard. in Martyrol. die Iulij. Anton. Pannorm. lib. 2. de gestis Alphonfi.  
Petr. Dam. apud Sur. J. lun. Baron. tom. 11. An. 1006. 4. ex Sigeberto.

S. Ambrosius lib. de Tobia.  
VIII.

Zacha. Lippel ex Sur. 29. Ianuar.

1777 2

Antonino,

Antonino, cui Pio cognomen erat, florebat sanctus Constantius Perusina civitatis Episcopus, qui cum neque blanditijs, neque verberibus compelli posset, ut Christum desereret, tandem non procul ab urbe Fulgineo sacrum ipsi caput fuit abscissum. Erat autem tunc temporis Fulginei quidam Leuianus, vir inter ceteros fide & bonorum operum meritis prestans, qui nocturna visione admonitus est, ut sanctissimi illius corporis curam susciperet, & omni cum honore, ut par erat, sepultura mandaret. Qui abiens protinus summa cum reuerentia illud humeris suis imposuit, sacroq; onustus pignore iam domum redire festinabat: At ei iam iter ingresso obviam sunt viri duo, qui Leuianum agnoscentes, cachinnos tollere, & Constantium maledictis insectari coeperunt. Sed ecce Deus, qui suorum honorem mirifice defendere consuevit, volens serui sui injurias contumeliasque ulcisci, simul & miraculo eius gloriam clariorem reddere, utrumque oculorum sensu illico priuat. Sed tamen & ipsis ira Dei misericordia efficitur: siquidem illi propria calamitate edocti, supplices ad calum manus tendere, & CHRISTVM IESVM unum solum verum DEVM confiteri coeperunt, tandemq; Leuiani opera ad sacrum Martyris corpus ducti, statim primo eius contactu pristinum oculorum lumen receperunt: Duplex exemplum facti, & eorum scilicet, qui in temerandis Diuorum funeribus poenam, & illorum, qui in venerandis auxilium merentur. Hinc probi, & defunctorum amantes sedulo curant, ut mortui magno comitatu efferantur. Quod legimus, Iacob Patriarchæ, & vnico viduæ filio, apud Lucam contigisse. Et S Hieronymus, de obitu Paulæ Romanæ scribit: *Tota ad funus eius Palestinarum urbium turba conuenit.* Et alibi, de funere Fabiolæ: *Iam fama volat tanti pranuntia luctus, totius urbis populum ad exequias congregabat.* Plura de funerum comitatu, D. Gregorius Nazianzenus, & alij, quorum non est cachinnis excipere, sed rixibus antiquis prosequi pietatem; nec sputum, sed aquam benedictam sepulcis aspergere. Si enim homines eam injuriam mortuis factam tanto opere vindicant, quid non pat est facere Deum? Audi, quid homines faciant, ex Pompon. Læto de origine Machumetis. *Cum defunctæ Fabiæ coniugis Heraclij funus efferretur, ait, puellam sorte quadam per fenestram spuisse, tetigisseq; elatum cadauer: ideoq; illam, nullâ factâ morâ* compre-

Gen. 50.

Luc 7.

S Hieronym.  
ep ad Eusto-  
chium de  
obitu Paulæ  
Romanæ.

Idem in ep.

ad Oceanum

S Greg Naz.

orat. 2. in Lu-

lianum, &

Seuer Sulpit.

in vit. S. Mar-

tini. ac lac.

Gretser. de

funere, &c.

comprehensam, & rogo Fabia impositam, viam exustam. Cui rogo imponentur illi, qui non solum non comitantur funera, aut non venerantur sepulchra Sanctorum, sed eorum sacra ossa despuunt, in ignem iniiciunt, in cineres redigunt; quasi viui non satis passi essent pro pietate, pro religione, pro Christo? O quantum isti ab humanitate recedunt! quantum à pietate! Nam tanta est egestas hominis ad eum statum deducti, vt planè eà immisericordià reliquas omnes atrocitate transcendat. Despuere, spoliare, cremare hominem, non solum se defendere non valentem, sed etiam innocentem, sed sanctum, sed ad caelestem gloriam translatum, quid aliud est, quàm impietas? vt eam Dio Chrysostomus appellat. Si Plato, ne hostilis quidem cadaueris, ad prædam asportandam, spoliationem concedit, quid diceret, si videret, amicos, patronos, Diuos non iam spoliari, sed ossa quoque eorum vastari? Verba Platonis sunt: *Nonnè illiberale videtur & sordide auaritia & muliebris atq; humilis ingenij, cadauer spoliare, & mortui corpus pro hoste habere; cum iam hostis euolârit, eo relicto instrumento, quo pugnabat? Censeâsne illos, qui hac agunt, à canibus quidquam differre, qui aduersus iactos lapides excandescunt, eum verò, qui lapidem eiecerit, non attingunt? Nihilò quidem differre illos à canibus arbitror.* Quem Platonis locum etiam Aristoteles allegat, & sensum eundem suum fuisse, ostendit Pausanias Lacedæmoniorum Princeps, qui deuictò Mardonio Persici exercitûs summo Præfecto, cum à Lamponè sociorum Æginetarum primario vrgeretur, ad agendum in cruce cadauer Mardonij, quem constabat in Leonidè Laconum Principis cadauer ita sæuissè: negauit, è re ac gloria Laconum esse, adeò aberrare ab æquo, barbarum in morem sæuendo in cadauer, tamen si hostis, tamen vitâ functi, atque exanime. Quid Diuis non honoris exhibuissent isti, qui hostibus à se trucidatis parcendum censuerunt? Meritò illis à Deo non parcitur, qui Dei seruis non pepercerunt. Statuam pugilis mortui quidam verberauerat, quæ super pulsantem cecidit, eumque oppressit. Nimirum recidunt meritò verbera in verberatè mortuos. Quod de Achilla quoque scribit Ausonius.

Dio Chryf. orat. 31.

Plato lib. 5. de Rep.

Aristot. lib. 3. Rhetor. c. 4.

Oenomag. apud Euseb. lib. 5. præparat. cap. 13.

Y Y Y Y 3

Abiecta

*Abjecta in triujs, inhumati glabra jacebat  
 Testa hominis, nudum iam cute caluitium.  
 Fleuerunt aly: fletu non morus Achilles,  
 Insuper & filicis verberè dissecuit.  
 Eminus ergo, isto redijt lapis ultor ab osse:  
 Authorisq; sui frontem oculosq; patit.*

Guicciard. l. 1. Sic merentur viui luere pœnas, qui mortuis non exhibent de-  
 de funer. c. 4. bitum honorem, quorum plura exempla recenset Guicciardinus.

**I X.** Hoc officij genus, si non æstimant homines, vel à bestijs  
 docentur. Solet enim, etiam hos magistros nobis præbere Deus.

**Prou. 6. 6.** *Vade ad formicam, & piger, ait, & considera vias eius, & discite sapien-*  
*tiam.* Et ipse sapientiæ magister suo ore protulit illud oraculum:

**Matth. 6. 28.** *Considerate lilia agri, quomodo crescunt:* Et paulò priùs: *Respicite*  
*volatilia cali.* Quid ergo volatilia, quid ceteræ animantes do-  
 cent de Sanctis mortuis honorandis? *Fera hanc humanitatem*

**S. Ambros. in** *defunctis corporibus detulisse, produuntur,* ait S. Ambrosius, *homines*  
**lib. de Tobia.** *denegabunt?* Decimo septimo Imperij Heraclij Anno, Christi  
**Baron, t. 6. s.** autem An. 627. cum S. Anastasij martyris eaput ad Regem Per-  
**An 627. post** sarum Cosrhoem fuisset delatum, & corpus eius, iater multa  
**Sur. 22. la-** cadauera à Christianis quæsitum, inuenti sunt canes, qui cetera  
**suarij.** quidem corpora, præ fame inuasert, à S. autem martyris  
 membris abstinerunt, vt ea integra mundissimis linteis à filijs  
 Iesdim involuta in Sergij martyris monasterio conderentur.

Diuersum planè morem habent, qui iam condita Diuorum cor-  
 pora è tumulis suis eruunt, nec tantùm lacerant, sed etiam  
 flammis tradunt, in ossa ipsa sæui, more molossorum. Atque vt  
 perspicuum sit, bestias ipsas homine impio esse humaniores. S.

**Ex Martin.** Stanislauum Cracouiensem Episcopum sacrificantem Boleslaus  
**Crom. dereb.** Poloniae Rex ferro trucidauit; neque cæde tam barbara conten-  
**Polon. & lo.** tus, corpus exanime è templo extractum militibus discerpen-  
**Longino Ca-** dum tradidit, prohibuitque graui propositâ pœnâ, ne quis aut  
**nonic. Cra-** iusta funeri persolueret, aut dissectas hinc inde corporis sacri  
**con Sur. 16. 2.** particulas colligeret, aut in sepulchrum inferret; id cupiens,  
**8. Maij. c. 24.** vt à canibus, aut auibus, aut alijs feris belluisque absumere-  
 tur, memoriaque omnis & martyris, & sceleris sui aufer-  
 retur. Sed non est passus ille omnia circumspectans diuinè  
 prou-

providentiæ oculus, martyris sui existimationem tam fœdè la-  
cerari. Altera enim die ab eius cæde, cum Rex & impij crude-  
litate eius administri existimarent, iam corpus omne à canibus  
aibusque deuoratum, à quatuor mundi partibus totidem raræ  
formæ ac magnitudinis aquilæ aduolarunt, & sollicito studio  
loca, in quibus dissipata jacebant fortissimi Præfulis membra,  
per aërem, in orbem circumibant, & velut à D. o constituti cu-  
stodes non sinebant ea ab vllis vel feris, vel volucris attingi.  
A quo miraculo homines admoniti, ac præsertim viri religiosi  
accurrerunt, & dispersas hinc inde sanctissimi corporis partes,  
magñâ diligentia reuerentiæque, collegerunt, nouo prodigijs  
recreati. Nam membra illa ita collecta diuinitus rursus in cor-  
pus vnum coierunt; vt, qui integerrimè vixerat, mortuus quo-  
que integer sepeliretur. Ita Deus excogitatam martyris sui  
ignominiam in gloriam vertit.

Quòd si canes, ab hominibus inter homines educati, pu-  
tantur assuescere humanitati, atque ea propter S. Anastasio pe-  
percisse; si aquilæ ad S. Stanislai cadauer odore attractæ aduoli-  
tasse, juxta illud: *Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur &*  
aquilæ; illud memoriâ recolendum est: *Qui mortui fuerint de*  
*Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint*  
*in agro, vorabunt eos aues cali, quia Dominus locutus est: Item, Qui*  
*mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes; & qui mor-*  
*tuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cali.* Rursusque:  
*Sed & de Iezabel locutus est Dominus dicens: Canes comedent Iez-*  
*abel in agro Iezabel; & vt alibi additur: Neq; erit, qui sepeliat eam.*  
Quamuis enim Iehu, qui eam iusserat præcipitari, postea dixe-  
rit: *Ite, & videte maledictam illam, & sepelite eam: quia filia Regis*  
*est, tamen cum essent, vt sepelirent eam, non inuenerunt, nisi caluariam,*  
*& pedes, & summas manus.* Si istis deuorandis canes non absti-  
nuerunt, cur canes Anastasio, & aquilæ, quæ sunt vulturium  
genus, & cadaueribus diripiendis assuetæ, Stanislao abstinaue-  
runt? Numquid is, qui obturauit ora leonum, ne Daniele m.  
inuaderent, conclusit etiam tunc ora canum, & aquilarum?  
immò & leonum ipsorum? quibus quid est inhumanius, aut  
immanius? & tamen leguntur etiam aliorum Sanctorum cor-  
poribus abstinuisse, immò eos sepelisse.

X.

Matth. 24. 28.

3. Reg. 14. 11.

3. Reg. 16. 43

3. Reg. 21. 23.

4. Reg. 9. 10.

4. Reg. 9. 34.

Daniel. 6. 22.

Memo-



XI.  
S Hieronym.  
in vit. S. Pauli  
Eremitæ.

Memorat enim S. Hieronymus, cum S. Antonio sarcolum deesseret, quo sepulchrum effoderet pro S. Pauli Eremitæ defuncti corpore humando, leones id munus exercuisse. Verba illius sunt: *Ecce duo leones ex interioris eremi parte currentes, volantibus per colla iubis, ferebantur. Quibus aspectis primò exhorruit: rursusq; ad Deum referens mentem, quasi columbas videret, mansit intrepidus. Et illi quidem directo cursu ad cadaver beati senis substiterunt, adulantibusq; candidis circa eius pedes accubere fremitu ingenti rugientes, prorsusq; ut intelligeret, eos plangere quo modo poterant. Deinde haud procul coeperunt humum pedibus scalpere, arenamq; certatim egerentes unius hominis capacem locum foderunt, ac statim quasi mercedem pro opere postulantes cum motu aurium, cernice dejecta ad Antonium perrexerunt, manus eius pedesq; lingentes. At ille animadvertit benedictionem eos à se precari. Nec mora in laudationem Christi effusum, quod muta quoq; animalia Deum esse sentirent, ait: Domine, sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec unus passerum ad terram cadit, da illis, sicut tu scis. Et manu annuens eis, ut abirent, imperavit: cumq; illi recessissent, sancti corporis oneri seniles curvavit humeros, & deposito eo in fossam, desuper humum congregans, tumulum ex more composuit. Solent aliàs belluæ istæ vnguibus homines rapere, & rictum, tamquam sepulchrum patens, pandere, eosq; in suo, non terræ ventre sepelire; sed, Deo iubente, omnia in contrarium faciunt, & mansuescunt, seu, ut ita dicam, hominescunt; quia & homines naturæ suæ oblitæ sæpe obbrutescunt.*

Paul. Diacon.  
apud Sur.  
tom. 2. die 9.  
April.

De eiusmodi leone meminit etiam Paulus Diaconus, & alij. Nam cum *Zosimas Abbas corpus S. Mariae Aegyptiaca jacens mortuum, inuenisset in solitudine, & manus sic, ut oportet, compositas, & corpus ad Orientem respiciens, lachrymas aliquamdiu fundens. & Psalmos dicens, temporis & rei congruentes, fecit sepultura orationem, & dicebat sibi ipsi: Forsitan non displicet Sancta hæc fieri. Hac eo cogitante designata erat in terra Scriptura ubi hæc scribebantur: Sepeli, Abba Zosima, misera Maria corpusculum, redde terra, quod suum est, & pulveri adijce pulverem, & ora Dominum pro me. Hæc senex cum legisset litteras, cogitabat, quisnam esset, qui scripserat: illa enim litteras ignorabat (ut ipsa dixerat) in hoc tamen valde exultans gaudebat, quia eius sancti didicit nomen. Glorificans autem Zosimas Domi-*

num, & lachrymis corpus eius infundens: Tempus est, inquit, miser Zosima, quod iustum est, perfice. Sed quid faciam infelix, quia unde fodere valeam non habes? Deest sarculum, non est rastrum, nihilq; ex omnibus est præ manibus. Hac illo in corde suo secretè dicente, vidit lignum permodicum jacens, quod assumens cepit fodere. Valde autem dura erat terra, & valde fortissima, & nequaquam valebat senex fodere: quia & jejuniis confectus, & longa itineris fatigatione nimis erat exhaustus. Laborabat enim, & suspirijs nimis urgebatur, & sudoribus madefactus ingemuit graniter ex ipso sinu cordis sui, & respiciens vidit ingentis forma leonem juxta corpus sancta stantem, & eius plantas lambentem. Videns autem contremuit præ pauore grandissima fera illius, præcipuè quia audierat, faminam illam dicentem, Quòd numquam aliquam vidisset feram. Signo autem crucis se confirmavit undiq; credens, quia illa sum eum custodire valet virtus jacentis. Leo autem cepit annuere seni, blandis eum motibus salutans. Zosimas autem dixit leoni: Quoniam à Deo missus fuisti maxime ferarum, ut huius Dei famula corpus terra commendetur, exple opus officij iustusq; eius corpusculum sepeli. Ego enim senectute confectus non valeo fodere, sed nec congruum quid habeo, ad hoc opus exercendum: Rursus autem tanti itineris spatia emetiri non valeo, ut aliquid adferam. Tu divino jussu hoc opus cum unguibus facito, ut commendemus terra hoc sanctum corpusculum. Continuo autem juxta senis sermonem, leo cum brachijs & unguibus fecit foueam, quanta ad sepeliendum sancta corpusculum sufficere posset. Senex verò lachrymis pedes Sancta abluens, & multipliciter effusa prece orans eam, ut nunc pro omnibus amplius oret, operuit terrà corpusculum nudum adstante leone, sicut eam prius repererat, & nihil aliud habens nisi illud scissum vestimentum, quod et iam antè projecerat Zosimas, & Maria quadam corporis sui membra texerat. Deinde recedunt pariter; & leo quidem in interiora solitudinis quasi onis mansueta, abscessit. Zosimas reuersus est benedicens & glorificans DEVM, & hymnum laudis decantans Domino nostro. Nemo putet, leoni hoc opus fuisse à natura suggestum: Angelo agente, id egit; sicut & illi leones, qui Paulo Eremitæ scrobem præparauerunt, vnguibus in vicem sarculi vtentes.

Quod ab Angelis adacti fecere leones, id ipsum etiam An-

Zzzz

geli

XII.

Sur. tom. 6. 25. Nouembr. geli ipsi præstiterunt, quorum manibus non solum Lazarus in sinum Abrahamæ fuit deportatus, sed etiam S. Catharina virgo & martyr Alexandrina, quæ cum iam esset ducenda ad supplicium, tempus ad orandum DEVM postulauit, atque inter cetera petijt hoc quoque: *Da Domine IESV Christe, DEVS meus, ut hoc corpus meum, quod pro te fuit consecissimum, non possit ab ijs adipisci, qui querunt illud.* Quid negaret sponsæ suæ Christus? cur Martyrem suam non exaudiret? Preces illius ad effectum deduxit. Itaque Angelicæ cohortes corpus illius quàm decentissimè composuerunt. Quo factò, ab ijs, qui præsentibus erant, conspecti sunt sanctissimæ virginis corpus in montem Sina deferre; vbi illud condiderunt. Par erat nimirum, vt Angelicæ puritatis Virgo, non nisi Angelicis manibus corpore quidem ad sepulchrum, anima autem ad cælum deduceretur. Neque in sepulchro est vel ab Angelis, vel à miraculis deserta. Nam qui ibi fuerunt, viderunt caput eius cum capillis & ossibus natare in oleo, quod ad varios morbos depellendos inde aufertur. Quin& de osse eius, cum particula inde fumeretur, oleum fluxisse, testes sunt. Similia complura leguntur contigisse. Eà nocte, quâ rapienda erat S. Ermelendis Virgo, ab Angelo sibi dici audiuit: *Recede, Virgo, recede, & virginitatem quam DEO consecrasti, inuiolatam custodi. Qua valde perterrita, obediens iussioni iter fecit. Cumq; Spiritu sancto duceretur Angelus Domini ei secundo apparuit, & viam, quam cœperat, ne desereret, imperauit. Venies, (inquit Angelus) in villam, quam Meldricem nuncupabis, ibi namq; preparauit tibi Dominus locum ad perficiendum desiderij tui votum. Peruenit igitur venerabilis Virgo in locum, quem prædixerat ei Angelus, ibiq; parsimoniâ mira abstinentia diu viuens, gemina dilectionis in se continebat mandatum: Alebatur autem B. Ermelendis solummodò herbis agrestibus, non inferior summis Eremiticis cultoribus: puellares quoq; artus teneros diris cruciabat iniurijs. Frequentabant quoq; eam quiq; Religiosi, sed quantò Dominus famam eius dilatabat, tantò humilius se agebat. Tandem verò post multa certamina euocata à Domino, ad caelestem peruenit gloriam, quam in terra positâ totâ deuotione quasinit. Ad cuius exequias non hominum vocibus resonabatur, sed hymnidici Angelorum chori Christo cecinerunt gloriam. Et quia Christo fuit dilecta, ab ipsis est officiosissimè sepulta.* Quid

Cæsarius lib. 8. cap. 24.

Idem ibid.

Sur. 29 Octo.

Quid mirum est, Angelos huic defunctæ Lessum cecinisse? bestia, quæ nihil intelligunt, id Angelis impellentibus præstiterunt. Simeon senior ille Stylita, sub Imperatore Leone Magno, & Martyrio Antiochenæ urbis Pontifice, ex pastore ouium Monasticam vitam ingressus, in columna quadraginta septem annos stetit, & multis in vita miraculis editis, è vita discessit. Quod ubi factum est, *aves volabant super columnam, clamantes, & quasi lugentes, ita ut omnes viderent. Planctus etiam populi & iumentorum resonabat per milliaria septem. Sed & montes & campi & arbores contristati sunt circa loca illa: ubiq; enim nebula tenebrosa facta est per circuitum. Ego autem considerabam Angelum venientem ad visitandum eum. Circa horam septimam seniores septem loquebantur cum Angelo, cuius vultus erat sicut fulgur, & vestimenta sicut nix. Et vocem eius in timore & tremore tamdiu consideravi, quamdiu audire potui: quid tamen fuisset, ignoro. Cùm autem jaceret sanctus Simeon in feretro, volens Papa Antiochia de Barba illius pro benedictione aliquid contingere, extendit manum, statimq; arefacta est: multaq; obsecrationes & orationes fiebant ad Deum pro eo, & sic restituta est manus eius. Supponentes autem corpus feretro, cum psalmis & hymnis duxerunt Antiochiam, omnis autem populus, qui erat per circuitum regionis illius, plangebat, quòd Patrocinium tantarum reliquiarum tolleretur ab eis, & quòd Episcopus Antiochia jurasset, ut nemo tangeret corpus illius. Venientes verò in quintum milliarium ab Antiochia, in vicum, qui vocatur Meroë nullus potuit mouere eum. Tunc quidam homo annis quadraginta surdus & mutus, subito cecidit ante feretrum, & coepit clamare, & dicere: Bene venisti serue Dei, tuus enim aduentus me saluabit: & si meruero viuere, ego tibi seruiam omnibus diebus vita mea. Et eleuans se, apprehendit unum de burdonibus, qui portabant feretrum, statimq; mouit se de loco isto. Et ita sanus factus est homo ex illa hora. Peccatum autem hominis illius tale erat: Hic amabat uxorem alienam, & volens eam adulterare non potuit, & mortua est, & posita in monumento. At ille inuit, & violauit sepulchrum eius: statimq; obmutuit, & surdus factus est, & obligatus est in illo loco annis quadraginta: Tunc exeuntes omnes de ciuitate Antiochia, suscipiunt super argentum & aurum corpus S. Simeonis, cum psalmis & hymnis, & cum multis lampadibus por-*

XIII.

De hoc Martyrolog. Rô 5. Ianuar. Menolog. Græc. 1. Septembr. Theodoret. in Philotheo cap. 26. Eua-grius lib. 12 hist. Eccles. cap 13. & 14. Nicaphor. li. 14. cap 51.

734 Cap. LXVI. Cur, quo modo, & à quibus boni bene sunt sepulti?  
tauerunt in Ecclesiam maiorem, & inde in aliam Ecclesiam, que vo-  
catur Pœnitentia: Multa etiam virtutes sunt ad sepulchrum eius,  
magis, quàm in vita sua: & homo, qui sanus est factus, ibi seruiuit usq;  
in diem mortis sue. Multi autem obtulerunt thesauros Episcopo An-  
tiochia pro fide, poscentes reliquias de corpore eius: sed propter iurand-  
um minimè prastitit. Non ergo homines modò cœremonijs  
consuetis, verùm etiam ipse volucres insolitis vocibus funus S.  
Simeonis celebrauerunt.

XIV.

Sic Angelorum cantum aues, homines autem pij, & An-  
gelorum & auium voces in exequijs imitantur. Est enim inter  
ceteros Ecclesiæ ritus, vt funera hymnis & canticis pijis profe-  
quantur. Cuius rei quatuor sunt causæ. Prima, vt tristi cantu  
tristitia convenientium ad funus moueatur: quæ tristitia com-  
munis, solatium est, vel filijs si parente, vel parentibus si filio, vel  
coniugibus si vxore, aut marito videntur. Vt enim onus leuius  
fertur, quod à pluribus fertur, ita luctus, si in plures diuidatur,  
mitigatur. Qua de causâ iubet nos Apostolus *gaudere cum gau-*  
*dentibus, flere cum flentibus, id ipsum inuicem sentientes.* Hinc D.  
Ambrosius scribit, fuisse morem gentilium, vt ad omne funus  
lamentatrices & tibicines adhiberent, qui lachrymas audienti-  
bus, cantatis nœnjs, elicerent. Ad hunc modum alludens Oui-  
dius ait:

Rom. 12. 15.

S. Ambros. in  
cap. 8. Lucæ.

Ouid. lib. 4.

Fastor.

Lucil. lib. 22.

S. Ambros.  
loc cit.

Matth. 9. 13.

S. Greg. Na-  
zianz. orat.  
10. in laudem  
fratris.

S. Chrylost.  
hom. 79. ad  
pop.

*Cantabat mœstis tibia funeribus.*

Et Lucilius: *Mercede que conducta flent alieno in funere PRÆFICÆ  
multo, & capillos scindunt, & clamant magis.* Existimat autem  
D. Ambrosius, hanc consuetudinem ab Ethnicis ad Iudæos per-  
manasse. Certè apud Iudæos fuisse constat ex Matthæo Euan-  
gelista, apud quem *cùm venisset IESVS in domum Principis, &  
vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite: non est  
enim mortua puella, sed dormit.* Altera causâ huius cantus est  
contraria, vt scilicet cantu mœstitia pellatur. Hanc enim indi-  
cat S. Gregorius Nazianzenus, qui ait Cæsarium fratrem psal-  
modijs luctum sedantibus sepultum. Et S. Chryostomus: *Quam,*  
*inquit, de causâ, queso, presbyteros vocas, & psallentes? Nonne, vt  
te consolentur, nonne vt defunctum honorent? Vbi & tertia causâ  
panditur defuncti honorandi, & cantu celebrandi. Qua de causâ  
etiam*

etiam *Præficia* olim fuerunt constitutæ, vt scilicet forcia defunctorum facta laudarent. Quò spectat illud Comici: *Præficia, qua alios collaudare se verò non potest*. Sed Christianis quarta præcipua causa est, vt, Deum vitæ necisque Dominum laudemus, mortuoque placatum reddamus, si quidem ille suffragijs indigeat. Pauci enim sunt, qui non indigent. Hinc etiam pullu campanæ aris ad funerum deductionem conuocamus, teste Beda. Quamuis etiam in viuos redundet ex hoc funerum honore emolumentum, dum monentur, vt cogitent, etiam sibi aliquando exequias iri celebratum; certè Theodoricum longè alia cogitantem memorat Cæsarius conuersum, dum in funere à Fratribus cantari audiret: *Domine, miserere super peccatore*. Sacra quædam cantica in funeribus cani iubent Apostoli, apud Clementem Romanum. Et S. Gregorius Nyllenus ad Olympium indicat, Sacerdotes in funere maximè Psalmos concinuisse. Immodò S. Hieronymus testatur, à S. Antonio Pauli Eremitæ corpus foras prolatum, cum hymnorum psalmorumque cantu, ex traditione Christiana. Quem morem etiam de obitu Paulæ ad Eustochium, & de funere Fabiolæ ad Oceanum attingit. Clarissimè autem S. Augustinus de funere matris agens ait: *Psalterium Enodius aperuit, & cantare cepit psalmum, cui respondebamus: Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*. Cur id non facerent homines, cum faciant aues? immodò cum id fecisse legantur Cælites? Quippe in cœnobio Hemenrode dicto cæcus erat, ex eorum numero vnus, qui *Conuersi* appellantur; cui *Deus interioris hominis lumen contulit, damnnum corporis celesti munere commutans dedit enim ei diuinas videre visiones, aliquando gloriam Sanctorum, frequenter pœnas malorum, assidue ipsum demonem flammiuomos ignium globos eructantem. Mira sunt hæc, & munera Dei. Frequenter autem patitur demonum incursum & congressum; ita vt ipsi impingant in eum, & ipse vel pugno vel baculo affligat eos. Hos assultus pati solet in quolibet loco, magis in Ecclesia, maximè cum pro defuncto orat. Ea tempestate, cepit iste in exequijs defunctorum audire choros Angelorum psallentium, modò cum monachis, modò diuisim: Cum autem efferebantur corpora precedente Conuentu, manebant Angeli in choro, exequiarum officia complentes. Inter sanctos autem, & Pater noster, inef-*

Plaut. in Truc,

Beda lib 4. de tinnabulis. cap. 23.

Cæsar. libiti cap. 21.

Clem. Rom. lib 6. Constit. Apok. c. 29. S. Hieronym. in vit Pauli Eremit.

S. Augustin. lib. 9 confesion. cap 12.

Cæsarius lib. 11 cap. 7.

fabiles solebat audire jubilos, & supra humanam estimationem dulces. Hac celestis modulatio, post depositionem domini David, dulcior & magis intelligibilis audiebatur. Pertinet hoc ad magnos triumphantium applausus, ut habeant non tantum acclamantes, sed etiam cantu & musica omnis generis instrumentorum prosequentes. Quid ni & Angeli exeant obviam Sanctis, quorum corpora ad sepulchrum, animæ ad cælum gradiuntur? Hoc est enim: *Et cantent in vijs Domini, quales utique sunt, per quas ad Deum itur.*

Psal. 87. 5.

### CAPVT LXVII.

*Cur malis multis bonam, & multis bonis malam Deus permittat obuenire sepulturam?*

I.  
Caesarius. hi-  
stor. memo-  
rab. lib. 10.  
cap. 41.



Irabile quiddam accidit in Saxonia, Anno Redemptoris 1222. Nam nubes densa vno casu ex aëre delapsa, intra duos montes, omnia aquis impleuit, magnamque & hominum, & pecorum stragem edidit; neque sepes tantum, sed etiam officinas euertit, supellectilemque omnem, quam arripuit, deuexit. In P.P. Benedictinorum monasterio, quod Winendenburg vocabatur, ex omnibus, quotquot aderant, nemo mortem euasit, præter quinque Religiosos, qui ad turrim confugientes se saluauerunt. Paria fecit idem torrens in vicina ciuitate Iffere, vel Illene dicta. Putasses sæculum Pyrrhæ & Deucalionis rediisse. Sed longè luculentiore signo Deus, quam fides Iuppiter, tunc probos ab improbis discriminauit. Siquidem aquis decrescens, & terra resecta, mirabili modo suffocati differebant. Quotquot enim in templis, aut ædibus suis inundatione deprehensi interierant, reperti sunt colore candidissimo, instar niuis enitescere; illi autem, qui in theatris, in popinis, in tabernis cauponum, vel lupanaribus, inter scortorum totius urbis ambubaiarumque ministeria extincti erant, carbonibus nigriores apparuerunt. *Tali enim caractere Deus bonos distinguebat à malis. Quem morem etiam veteres tenuerunt. Siquidem*

*Mos erat antiquis, niuis atrisq; lapillis,*

*His damnare reos, illis absolueret culpa.*

Hoc discrimen, si Deus ubiq; obseruaret, facile esset bene mortuos,